



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10996

in Otto Monasterio, ubi S. Bonifacius requiescit: Visitur adhuc ejus sepulcrum
in Monasterio Laurishamensi, cum hac inscriptione:

*Conditur hac foveâ, quem pie Christe beâ,
Thasilo Dux primum, post Rex, Monachus sed ad imum:
Idibus in ternis decesserat ille Decembris.*

Neq; provincia quam tenebat ulterius praesse, sed comitibus ad regendum
commissa est) Intricata lectio, quam Cod. Flor. opè, conjecturâ indubiâ,
sic constituo: Thasilo tamen postmodum ad Regem evocatus; neque redire per-
missus: neque provincia, quam tenebat, ulterius Duci, sed Comitibus ad regen-
dum commissa est:

C A P. XII.

His motibus ita compositis, Sclavis, qui nostrâ con-
suetudine Wilfi, propriè vero, hoc est sua linguâ,
Welatabi dicuntur, illatum est bellum: in quo & Sa- *MS. aux-
xiones velut * auxiliares inter cæteras nationes; xiliares.
quæ regis signa jussæ sequebantur, quanquam ficta & mi-
nus devota obedientia militabant. † Causa belli erat;
quod Abottitos, qui cum Francis olim foederati erant, as-
fiduâ incursione lacessabant, nec jussionibus coerceri po-
terant: † Sinus quidam ab occidentali oceano orientem
versus porrigitur, longitudinis quidem incòperta, lati-
tudinis verò quæ nusquam centum millia passuum excedat,
cùm in multis locis contractior inveniat. † Hunc mul-
tæ circumsedent nationes. Dani siquidem & Sveones,
quos Nordmannos vocamus, & septentrionale littus, & o-
mnes in eo insulas tenent. † At littus australe Sclavi, &
Aisli, & aliæ diversæ incolunt nationes: inter quos vel præ-
cipui sunt, quibus tunc à rege bellum inferebatur, We-
latabi, quos ille unâ tantum, & quam per se gesserat, ex-
peditione ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata fa-
cere minimè renuendum judicarent.

EGINHARTVS
ANIMADVERSIONES
AD CAP. XII.

Sclavis, qui nostra consuetudine *VVilsi*] Gentem Sclavorum jam tempore belli Trojani, in Paphlagonia, Asiæ minoris regione, floruisse arbitrat *Alexander Guagninus Veronensis*, miles pariter ac scriptor Sarmatiæ præclarus, *Descript. Sarmat. Europ. fol. 3. Edit. Spir.* Procopius etiam Cæsariensis, de bello Gothico Justiniani Imperatoris temporibus scribens, mentionem Sclavinorum facit. Neque adeo barbarum hunc populum fuisse, argumento sunt celeberrima *emporia*, quæ hinc inde in veterum annalibus commemorantur. Unde autem *Welatabi*, ac linguâ Francorum *Wilsi*, seu ut est in MS. Florentino, *Vulsi* dicantur, equidem ignoro, nisi feritatem harum gentium eo nomine denotari credas. Atque hoc innuere videtur Poeta Saxonicus *lib. 11. v. 433.* ubi *Wiltos* appellat: *Gens est Sclavorum Wilti cognomine dicta, Proxima littoribus quæ possidet arva supremis, Iungit ubi Oceano proprios Germania fines.* Sic enim lego ex *Cod. MS.* etsi *Reineccius* ediderit *Wilci*, idque nomen in *Notis fol. 31.* derivet à *Wilck*, quod lupum etiam Litvanis significat, forsitan à rapacitate lupina: Ego vero *Wilfos Francico*, non *Slavonico* vocabulo appellatos, cum *Eginhardo* malim.

Sinus quidam ab occidentali Oceano Orientem versus porrigitur] Hic est celeberrimus Sinus ille *Codanus* à *Plinio lib. 14. cap. 13.* & *Pomponio Mela lib. 11. cap. 3.* celebratus. *Svevicum* mare appellare solet *Tacitus*; nos *Orientale* hodie vocamus, itemque *Balticum*, cujus nominis rationem exponit *Cranzizius Wandalia lib. 11. cap. 17.*

Dani siquidem & Sveones quos Nordmannos vocamus] *Falsum est*, inquit *Philippus Cluverius Germ. Antiqu. lib. 111. cap. 41.* *Sveones* appellatos fuisse *Nordmannos*. *Mendum his verbis inest, quod ego unicâ particula ET, ab inconveniente loco in germanam sedem transposita, sic purgo: Dani siquidem & Saxones, & quos Nordmannos vocamus, septentrionale litus & omnes in eo insulas tenent.* Hæc ille, ingeniosè quidem, sed conjecturâ non necessariâ. Enim vero non *Danis* tantùm hoc nomen ab Historicis antiquis tribui solet, sed cæteris etiam qui trans *Daniam* sunt, populis omnibus, quæ ferè verba sunt *Alberti Stadenf. Chron. ad ann. 810.* Sanè *Adelmus Transalbianis Saxonibus* idem nomen attribuit *ann. 798.* Similiter Poëta Saxo *lib. 11. v. 29.* ut ad eum locum doctè observat *Reineccius, fol. 21.* De *Svedis* autem (qui *Sveones* Nostro dicuntur) apertè *Helmoldus lib. 1. Chron. Sclav. cap. 1.* id quod *Hugo Gratius proleg. ad Procop. ac nuperrimè Joh. Schefferus Upsal. cap. 3. p. 20.* egregie demonstrarunt.

aiſti